

Joachim Eberhard

Oratio, Historiam Pauli Apostoli, eiusq[ue] Conversionem & Doctrinam, ad singulas circumstantias accommodatam, continens : in qua Idea proponitur, & exemplum illustre boni Concionatoris, omnibus Dei ministris studiose & fideliter imitandum

Rostochii: Typis Reusnerinis, 1603

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn756500796>

Druck Freier  Zugang



+6. 16,4 15,5
15,8 } 5 16,0 } 7
15,3 } 15,3 }
+6. ~~14,9~~ 14,6


J. Eberhard.

R. U. theol. 1603.


gibtes nicht

↙


940











ORATIO,
HISTORIAM

PAVLI APOSTOLI,
ejusq; Conversionem & Doctrinam,
ad singulas circumstantias accommodatam, conti-
nens, in qua Idea proponitur, & exemplum illu-
stre boni Concionatoris, omnibus Dei
ministris studiosè & fideliter
imitandum,

*Magnificentissimi Domini Rectoris consensu, in
florentissima ROSARVM Academia, & con-
ventu doctissimorum hominum ho-
nestissimo, publicè re-
citata à*

M. JOACHIMO EBERHARDO

Ribnitzeri, SS. Theologiae
Studiofo.



ROSTOCHIA

Typis Reusnerinis. Anno 1603.

Ex
Bibliotheca
Academica
Rostochiensis



VLDARICVS,
DEI GRATIA, STETINENSIVM,
Pomeranorum, Cassubiorum & Vandalorum
Dux, Princeps Rugia, Comes Caicorum,
Dynasta in Lowenburg &
Butow,

RECTOR ACADEMIÆ
ROSTOCHIENSIS.




Inter maximè illustra & admiranda Filij
DEI opera, non minimum censendum est,
Conversio Divi Apostoli PAULI, qui initiò
infensissimus CHRISTI, ejusq; discipulo-
rum hostis & persecutor acerrimus fuit, ac in omnes
& singulos Evangelion CHRISTI amplectentes, mi-
nas & cædem crudelissimè spirans, postea electum DEI
organon, & præcipuus Gentium Doctor factus est.
In hujus Apostoli conversione mira μεταμορφωσις confi-
deranda venit. Qui enim antè immani odio, & viru-
lentissima rabie percitus, innocentes & teneros CHRI-
STI discipulos, sanguinem & vitam eorum, instar fa-
melici & rugientis Leonis avidissimè fitiens & appe-
tens, persequebatur: post, in itinere versus Damascum
ad rapiendos & vinciendos, CHRISTO deditos, su-
scepto, circumfulgente eum clarissimâ luce, cælitus
emissâ à Filio DEI voce compellatus, inq; terram pe-
nè prostratus exanimis, ad munus Apostolicum vo-
catus est, ac doctrinam de CHRISTO generis huma-
ni Salvatore unico, inter gentes veri DEI ignaras,
lon-

28
longè lateq; divulgavit & propagavit. In quo divi-
nitùs sibi demandato munere, tot labores, tanta peri-
cula, & cum pseudoapostolis certamina acerrima sub-
ijt, & fortiter sustinuit; eamq; quàm constanter pro-
fessus est doctrinam, tandem sanguinis & vitæ suæ
profusione obfignavit, monumentisq; suis toti Chri-
stianæ posteritati consecratam reliquit, ita, ut cum eo
alius Apostolorum vix comparari possit. Conside-
remus autem in hac miraculosa Apostoli conversione,
luculentissimum inexhaustæ bonitatis & clementiæ
divinæ testimonium, quâ etiam hostes suos mentis cæ-
citate percussos, luce verbi sui illustrat, & pro infinitâ
suâ misericordiâ, sordibus peccatorû pollutos, in gra-
tiâ recipit, ac salutaria Ecclesiæ organa efficit. Deinde
etiam hoc exemplo instituti, animos nostros peccato-
rum mole gravatos erigamus, & firmâ in CHRISTVM
fide nixi, certò statuamus nos DEO reconciliatos, sa-
lutis æternæ præmia certissimè consecuturos esse.
Quia verò eruditus M. JOACHIMVS EBERHARDVS
Ribnicensis, ORATIONEM DE APOSTOLI PAV-
LI CONVERSIONE conscriptam recitaturus est; ad
eam audiendam, ut Professores, DD. MM. & studio-
si juvenes, CRAS, hora IX. in Auditorio magno fre-
quentes conveniant, clementer eos admonemus.

P P. XXII X. Januarij, Anno

1603.



A 2

RE-

PRÆCLARIS GENERE, DOCTRINA,

virtute, & optima spe juvenibus,

Dn. ERICO VON DER VECHTE, Magnifici, Amplissimi, & doctissimi viri, Dn. ERICI VON DER VECHTE, inelytæ Hamburg. reipubl. Consulis senioris, prudentissimi filio,

Dn. EBERHARDO TWESTRENGIO, Amplissimi & Clarissimi viri, Dn. EBERHARDI TWESTRENGII, I.V.L. & reipubl. Hamburg. Senatoris prudentissimi filio,

Dn. HERMANNO & IOHANNI WEDEKINDIS, fratribus, Ornatissimi & Doctissimi viri, Dn. IOHANNIS WEDEKINDI, Civis Hamburgensis primarij filijs,

Dn. GOTHARDO GOEDERSEN, prudentissimi & optimi viri, Dn. IOACHIMI LANGERMANNI, Civis Hamburgensis primarij & Ecclesiæ Cathariæ Iurati ac provisoris fidelissimi privigno,

Dn. VINCENTIO MOLLERO, Amplissimi & doctissimi viri, Dn. CASPARI MOLLERI Hamburg. reipubl. Senatoris prudentissimi filio,


Dn. THEODORO NIEBVER, Nobilissimi & Ornatissimi viri, Dn. HENRICI SCHVLTZEN, hæreditarij in Marschacht, privigno,

Dn. ERICO & HENRICO WORDENHOVIIS, fratribus, Reverendi, Amplissimi & Doctissimi viri, Dn. LAVRENTII LANGERMANNI, Ecclesiæ Cathedralis Hamburg. Canonici, & Illustrium Comitum SCHAWENBURGENSIUM Consiliarij dignissimi privignis, discipulis suis charissimis,

Rostochij in Castris novenarum Sororum novenam amicorum turbam constituentibus, & partim adhuc strenuè militantibus, partim illinc discedentibus, amicis, fautoribus, & discipulis,

Hanc Orationem de PAVLO APOSTOLO, ejusq; conversione & doctrina in indissolubile amicitie fœdus, & certum amoris testimonium offert & dicat

*Ioachimus Eberhardus Ribnitzensis, Liberal. art.
M. & S.S. Theologiæ Studiosus.*



Oratio.



Ensis præterijt, Magnifice Domine
Prorektor, & reliqui vos Auditores
Reverendi, Clarissimi, Humanissi-
mi, Doctissimi, viri & juvenes
optimi, mensis præterijt, quo me in
hoc loco & conventu doctissimorum
hominum dicentem audiivistis. Tem-
pus enim jam jam præterlapsum
erat natalitiõrum Christi, cum in-
vitarer, ut in memoriam & laudem beneficiorum, à puero NOBIS
nato, & dato NOBIS filio, EMAMVELE nostro, verè Ad-
mirabili, nobis abunde exhibitorum, animi grati testimonium vece
& lingua publicè proferrem. Quemadmodum autem maxima
erga Deum gratitudinis est, recentem conservare divinorum
beneficiorum memoriam: Ita est & pietatis, summa cum utilitate
conjuncta, historias Sanctõrum, divina illa beneficia ad posteros
propagantium, in Ecclesiis & scholis memoria infixas retinere.
Etenim vivis quasi coloribus nobis depingunt veram Christi Eccle-
siam, quid illa sit, quomodo excitatis subinde & missis salutaribus
verbi ministris colligatur: quomodo adversus varios diaboli in-
sultus, & horribilem pessimorum hominum tyrannidem conserve-
tur: quomodo palma instar arboris pressa contra pondus assurgat.
Doctrinam deinde nobis salutarem & frugiferam: fidei in do-
ctrina, consolatione & exhortatione miram efficaciam: miram &
laudabilem in confessione constantiam suppeditant. Aliarum quoq;
virtutum exempla plurima nobis imitanda proponunt. Quamquam

idem

autem omnium Sanctorum historias novisse, & tenere memoria fidelissimè plurimum prodest: tamen inprimis ejus nulla unquam delebit oblivio historiam; nulla ætas de ejus conticescet laudibus, qui ab omnibus, commemorabili pietate viris divinis semper laudibus est ornatus. Non præteribit silentio omnino, qui in tertium usq; cælum raptus, arcana Dei audivit, & saluberrimam omnium articulorum fidei doctrinam, ex ipso omnipotentis ore exceptam, fideliter hominibus patefecit: patefactam constanter professus est, & spirituales sibi filios filiasve procreavit plurimas. Semper nobis erit conspicuus ille, qui immensa ac inenarrabilis Misericordia Dei exemplum, in perpetuam rei memoriam literis expressum, posteritati reliquit. Illius, illius historiam omnes omnibus temporibus & locis degentes homines in viridi semper conservabunt observantia. Reliquorum quidem cognoscent historias: hanc verò imitabuntur. Reliquorum crebrò inspicient: hanc semper in manibus habebunt. Reliquorum legent diligenter: hanc memorie quoq; si possunt, mandabunt. Talis est Apostoli Tarsensis historia. Ipse enim est, qui novit hominem, raptum in tertium usq; Cælum. Ipse scit hominem raptum fuisse in paradysum, & audivisse verba, quæ fas non sit homini loqui. Ipse inter reliquos accuratissimè omnes Christiana doctrina articulos & inprimis fundamentum justificationis & eterna salutis literis prodidit. Ipse deniq; à Deo immensa ejus misericordia & bonitate conversus, noster, & multorum Christianorum spiritualis factus est pater: siquidem per Evangelium in Christo, fide & vita irreprehensibili à nobis induto, nos peperit, ut sibi non degeneres nos haberet filios. Quare, cum proximus etiam Apostoli Pauli dies de Pauli conversione nos commonefecerit, qui tanta nobis exhibuit beneficia, spirituales nos procreando liberos, ut nullam eorum partem non modo referenda, sed ne cogitanda quidem gratia consequi possimus, historiam ejus, ut grati illius liberi considerabimus, immensa Dei misericordia exemplum nobis in memoriam revocaturi. Ne autem abuti videar vestra humanitate & benevolentia auditores, quam in accedendo mihi

28
mihi declarastis, tanta propter frigus intensum utar brevitate in dicendo, quam res tanti negotij unquam fieri permittit.

Paulus Apostolus, vas illud electum Dei & ut Hieronymi verbis utar, tuba Evangelij, & flumen Christiana eloquentia, patriam habuit Cilicia metropolin celeberrimam Tarsum, qua cum propter adificiorum splendorem, magnam mercatorum negociationem & frequentiam, tum etiam propter summam studiorum philosophicorum, artium & literarum humaniorum culturam omni laude & gloria floruit. Scribit enim Strabo, ingenij gloria excellens, de Academia Tarsensi, ejusq; membris civibus & studiorum cultoribus, ut reliqua taceam, tantum eis circa Philosophiam $\alpha\gamma\alpha\lambda\lambda\alpha\ \epsilon\gamma\chi\alpha\lambda\iota\omicron\nu\ \alpha\pi\omicron\tau\omicron\nu\ \pi\alpha\upsilon\delta\epsilon\lambda\alpha\iota$ desiderium fuisse, ut eam qua Athenis; qua Alexandria; qua alibi fuerunt celeberrima, Tarsensis haec cum civibus suis longe superaret. Verum, ut in alijs temporalibus & caducis: ita in hac quoq; Urbis & Academiae celebritate integram laudem & perfectam non reperiri, ut ut propter summam & doctorum auctoritatem & urbis, quorum illi scientia eum, hac exemplis augere posset, gloriari potuisset: Sed aliam caelestem Academiam & longe celebriorem patriam Ecclesiam existere, de qua sibi & sincerae pietatis cultoribus saepe gratulatus est, existimavit. Hanc ad Caelum usq; summis laudibus sustulit: hanc alijs quam plurimis magnifice predicavit: hanc suam ipsius & aliorum vere Christianorum verum $\pi\omicron\lambda\iota\tau\omicron\upsilon\mu\alpha$ ratus est. Ex hoc enim servatorem, Dominum nostrum Iesum Christum expectandum dixit, figuraturum corpus nostrum humile, ut conforme redderet corpori suo glorioso, secundum efficaciam, qua potest etiam subicere sibi omnia.

Natus est Apostolus parentibus Iudaeis, patre Civis Romano, Hebraeo, ex tribu Benjamin, ex semine Abrahae, pijs procul dubio hominibus, & Ecclesiae Dei Civibus, a quibus nomen Sauli, & ardentis ingenij igniculos, & verae pietatis semina adeptus est. Tanta enim vis ingenij, tanta indoles virtutis & pietatis, tanta omnium rerum dexteritas in Saulo ab ineunte aetate eluxit, ut ad omnia summa a summa atq; excellenti natura armatus videretur.

Paren-

Parentes à pueris eum honestè & liberaliter educarunt, tradideruntq; præceptoribus, ingenij laude, & eruditionis gloria clarissimis viris, in omni liberali doctrina, atq; optimarum artium & linguarum studijs quam diligentissimè erudiendum. Postquam autem in Academia patria mediocrem linguarum & artium humaniorum Philosophiæ progressum fecisset, evoluisseq; veterum Poëtarum monumenta, & didicisset mechanicam aulea texendi artem, à parentibus in Academiam Hierosolymitanam, tanquam ad mercaturam uberioris doctrinæ & cognitionis supremarum facultatum ablegatus est. In hac Academiâ & urbe, ubi sedes & templum Dei, ubi studium Theologicum maximè floruit, Gamalieli, viro eruditione, prudentia & autoritate præstanti, à parentibus & amicis commendatur. Cum autem summè omnium doctrinarum studiosus esset, tantam in excolendo literarum & præcipuè Theologicarum studio operam collocavit, tantumq; in eo profecit, præceptorem & alios summos doctores, divina scriptura interpretes, scribas & phariseos, atq; ipsos summos sacerdotes summo cum desiderio audiens, audita fideliter memoria conservans, ut ex ingenio ejus, singulariq; studio & propectu voluptatem caperent omnes. Nec caret eruditio hæc Sauli, & doctrina in eo excellentia testimonio. Ostendit hoc Methodus, quæ in scriptis, posteritati relictis conspicitur, & ad præscriptum seu amussim artium dicendi maximè accommodata est. Ostendit hoc oratio epistolarum suarum, qua luminibus verborum perpolita ex rerum cognitione & sententiarum gravitate efflorescit atq; redundat. Ostendunt hoc testimonia, quorum cum ex sacris, tum ex Philosophorum libris allegat plurima.

Saulus jam omni liberali doctrina, artibus & linguis probe instructus, in omni judicio perelegans, cum sectæ in populo Iudaico post bellum à Macabæis gestum præcipuè tres in usu essent, Essæorum, Sadducæorum & Phariseorum, ad sectam Phariseorum, tanquam doctrina Cælestis sinceritate, vitæ sanctimonia & autoritate alijs antecellentium, animum adjunxit. Ante conversionem
igitur

26

igitur Zelo patrie legis adeò flagravit, ut, cum existimaret, se vitam & salutem aternam ea mereri & consequi posse, juxta eam planè viveret. Hinc factum est, ut cum reliquis Phariseis Christum, Stephanum, & reliquos apostolos tanquam pestes & hostes legis divina acerrimè persequeretur, qua de Iesu Nazareno Messia dicebantur, vana & ficta existimaret omnia, refutaret doctrinam ejus, & ipsum horrendè blasphemaret. Hac ratione nihil eo proficiente, alia viarem aggrediens, vim manifestā adhibuit, credentes in carcerem conjici, ad blasphemandum & abnegandum Christum compelli, illud recusantes cadi, & lata sententia interfici curavit. Verum Deus Optimus Maximus, in cujus manu sunt omnia, immensa misericordia & benignitate motus, hunc erga legem patriam ardorem & fervorem in sui flagrantissimum convertit amorem, & ex Saulo, Christum vehementer persequente, reddidit Paulum, miro amore cum amplectentem. Hanc miram & inexpectatam *μετὰ τὸ ὄραον* historia conversionis Pauli, Actor. 9. 22. & 26, integrè relata abundè demonstrat. Saulus enim spirans minas accedem adversus discipulos Domini accessit ad principem sacerdotum, & petijt ab eo epistolas, quas perferret Damascum ad synagogas, ut si quos inveniret ejus via, seu viros seu mulieres, vincetos duceret Hierosolymam. Et cum iter faceret cum socijs, contigit, ut appropinquaret Damasco, ibi ex improvise in ipso meridie, è Cælo supra splendorem solis circum fulgebat eos lumen, cujus tanta erat vis, ut simul omnes in terram collaberentur. Humi prostratus Saulus, audit vocem Hebraica lingua dicentem: Saul, Saul, quid me persequeris? Comites Saulis lumen quidem videbant, & terrore stupebant: vocem autem ejus, qui cum Saul loquebatur, non audiebant. Respondebat autem Saul: Domine quis es? At ille: Ego sum Iesus ille Nazareus, quem tu persequeris, durum est tibi contra stimulos calcitrare. Sed exurge, & sta super pedes tuos. Ad hoc enim apparui tibi, ut constituam te ministrum & testem, & eorum qua vidisti, & eorum in quibus apparebo tibi, eripiens te à populo & gentibus, in quas te nunc mitto, ut aperias

B oculos

oculos eorum, ut convertantur à tenebris ad lucem, & à potestate Satana ad Deum, ut accipiant remissionem peccatorum, & sortem inter eos, qui sanctificati sunt per fidem, quæ est erga me. Tremens autem & stupens dicebat: Domine quid me vis facere? Dominus dicebat ad ipsum: Surge & vade in civitatem Damascum, & ibi dicetur tibi de omnibus, quæ ordinata sunt tibi ut facias. Hæc postrema verba comites Pauli audiebant quidem sed neminem videbant.

Surgebat Saul è terra, & excacatus excellentia fulguris neminem videbat. Comites autem manibus eum præhensum, Damascum introducebant. Damasci tres dies captus oculis, & jejunos transigit. Erat autem quidam discipulus Damasci, nomine Ananias, vir pius secundum legem, testimonio probatus omnium illic habitantium Iudeorum, & dixit ad illum per visum Dominus: Anania. At ille ait. Ecce ego Domine. Et Dominus ad eum: surge & vade in vicum, qui vocatur Rectus, & quare in domo Iuda Saulum, nomine Tarsensem. Ecce enim orat. Et vidit per visum virum, Ananiam nomine, introeuntem & imponentem sibi manum, ut visum reciperet. Respondit autem Ananias: Domine, audi vi ex multis de viro hoc, quanta mala fecerit sanctis tuis Hierosolymis. Et hoc loco habet potestatem à principibus sacerdotum vincendi omnes, qui invocant nomen tuum. Dixit autem ad eum Dominus: vade, quoniam organum electum est mihi iste, ut portet nomen meum coram principibus & regibus, ac filiis Israël. Ego enim ostendam illi quanta oporteat eum pro nomine meo pati. Et abiit Ananias, & introiit in domum, & adstans & imponens ei manum, dixit: Saul frater, Dominus misit me, qui apparuit tibi in via, qua veniebas, ut visum recipias, & implearis Spiritu S. recipe ergo visum. Continuo decidebant ab oculis ejus tanquam squama, & visum recipiebat, & in Ananiam intuebatur. Dicebat autem Ananias ad eum: Deus patrum nostrorum preparavit te, ut cognosceres voluntatem suam, & videres id, quod justum est, & audires vocem ex ore ejus, quia eris
testis

29
testis illi apud omnes homines, eorum quae vidisti & audivisti.
Et nunc, quid contaris? Exurge, & baptizare, & ablue peccata
tua, invocato nomine Domini. Surgebat igitur & baptizabatur,
& sumto cibo vires suas recipiebat. Ex hoc sacrarum literarum
contextu Magnifice Domine Prorektor, ceteriq; auditores optimi
luce meridiana clarius apparet, tantam Dei esse misericordiam,
tantam divinae clementiae & benignitatis in miseros peccato-
res amplitudinem, ut nullius tantum sit ingenij flumen, tanta di-
cendi facultas, qui prodignitate illam intelligere, nedum voce sua
comprehendere possit.

Superat enim captum omnium, & univ^{er}sum humanae ratio-
nis iudicium, quod qui blasphemus fuit in filium Dei; qui doctri-
nam ejus reverso quasi pede rejecit; qui dicta ejus & facta fal-
sa putavit omnia, quod is in gratiam sit receptus; quod is adeo sit
receptus, ut in tertium usq; caelum raperetur, & ibi quae gereren-
tur, inspiceret: quod is adeo sit receptus, ut in ipsum, Deo dignum
paradisum, abduceretur & ibi quae dicerentur, notaret. O mirum
exemplum mirandae misericordiae Dei. O stupendum divinae be-
nignitatis opus. O mira, semperq; miranda, semperq; amanda
Dei Optimi Maximi clementia. Hinc vero verius existit, quod
ipse Paulus de seipso affirmat: Eram blasphemus, persecutor, &
violentus: Sed & misericordiam adeptus sum, quod ignorans fe-
cerim per incredulitatem. Exuberavit autem supra modum gra-
tia Domini nostri, cum fide & dilectione, quae est per Christum Ie-
sum. Certus sermo & dignus, quem modis omnibus amplectamur,
quod Christus Iesus venit in mundum, ut peccatores salvos faceret,
quorum ego sum primus. Verum ideo misericordiam sum adeptus,
ut in me primo ostenderet Iesus Christus omnem clementiam, ad
exprimendum exemplar ijs, qui credituri essent in ipso in vitam
aeternam. Ex hoc misericordia & gratiae divinae saluberrimo fon-
te gustarunt Adam, Loth, Abraham, David, Salomon, Manasses,
Petrus, Maria Magdalena, & omnes alij, tetrīs peccatorum sordi-
bus contaminati homines. Ad hunc nos quoq; properemus, qui pec-
catorum

catorum remissionem, & gratiam expectamus, inde haurientes, sitim abunde expleamus. Major enim est Dei misericordia, quam omnium peccatorum miseria. Non igitur desperabimus, non inquam, quotquot peccatorum mole gravati sumus; nec timore qualicumq; percussi, spem animumq; abijciemus, sed potius ad divinae benignitatis considerationem animum intendentes omnem collocabimus confidentiae anchoram in solum Deum, qui sibi fidentes in calamitatibus licet gravissimis; in peccatis, licet inenarrabilibus & maximis; in doloribus licet extremis, nunquam suppressi passus est. Sed haec ampliora sunt, quam ut verbis comprehendantur, longiora quam ut brevibus enarrentur, ideo ad Paulum redeo, ejusq; historiam.

De Patria Pauli, parentibus, educatione, vita genere audivistis: Nunc dicendum restat de rebus gestis, quomodo docuerit; quomodo doctrinam ab Adversariorum injuria & corruptela defendarit; quomodo miraculorum multitudine, & virtutum pulcherrimarum exemplo eam confirmaverit; deniq; quomodo vitam suam finiverit. Doctorem Paulum tanti fecit sanctus Chrysostomus, ut neq; Veteris neq; Novi testamenti ullum inter sanctos reperiri dixerit, cum hoc conferendum.

Si quis enim contra eum sigillatim justorum appendat chorum, inveniri trutinam ait, virtutum ponderibus à parte Pauli depressam. Paulus secundus & alter Abel est: verum non semel, sed per dies singulos immolatus. Paulus alter Noë, sed absq; arca insurgentes adversus se undas impietatis enavigans. Paulus alter Abraham, non modo à patria & gente, sed post vocationem suam ab ipsa etiam vita abscissus. Paulus alter Isaac, spontè in hostiam colligatus. Paulus alter Iacob, quasi pro uno quodam totius mundi grege semper invigilans. Paulus alter Ioseph, spiritali fame tabescente mundo, veritatis alimenta distribuens. Paulus alter Moses, qui omnes gentes à tyrannide Diaboli reduxit ad Christum. Paulus alter Aaron, totius mundi populus unctus sacerdos. Paulus alter Phineas, impie-

tatem

28

tatem Iudeorum atq; gentiliura, quasi fornicationem mentium uno
fidei mucrone confodiens. Paulus alter David, qui velut
quendam Goliath in certamine, Diabolum provocat. Paulus
alter Elias, clarius raptus in Caelos. Paulus alter Helifæus,
qui gentes ab interiori lepræ pollutione mundavit. Paulus alter
Ezechias, qui ad unam fidem Christi diversos populos attraxit.
Paulus alter Iofias, qui abominations gentiliura dissipavit
& perdidit. Paulus alter Iohannes, qui pro Christo capite
truncatus est. Paulus alter Petrus, non de terra, sed de cæ-
lo vocatus ad credendum. Paulus alter Gabriel, qui Christi
ortum cunctis gentibus nunciavit. Paulus alter Michaël,
qui Christianorum dux esse fortitus est. Hinc dilucide apparet,
quis & quantus fuerit Doctör Paulus, sed quæras de doctrina ejus,
quam professus est? Quamvis de omnibus fidei articulis, & do-
ctrina Christiana capitibus docuit, imprimis tamen de Christo,
quod verus sit Deus & homo, patribus promissus, in novo testa-
mento exhibitus; quomodo passus & mortuus sit; quomodo tertia
die resurrexerit, & ascenderit ad calos; quomodo ad dextram Dei
collocatus perpetuam agat & summum sacerdotem, usq; dum ad
iudicium reversurus sit. Docuit præterea de lapsu hominis &
peccato: de Lege & Evangelio: de justificatione, de qua solidius
nemo docuit ipso Paulo. Si enim de impulsiva es sollicitus? osten-
dit tibi misericordiam & gratiam; Charitatem & dilectionem;
Φιλανθρωπίαν & singularem erga homines amorem, in Deo: in nobis
peccatum & mortem. Si de efficiente quæris principali? Chri-
stum tibi demonstrat, hominem natum, & legis maledictionem
subeuntem: legem obedientia sua implentem, & solventem νότον
pro peccatis totius generis humani: fundentem sanguinem, & vi-
tam cum morte commutantem: cubantem in sepulchro, & tertia
die resurgentem; ascendentem ad calos, & se ad dextram Dei
collocantem, atq; ita remissionem peccatorum seu Iusticiam sua hu-
militate, obedientia & morte, quæ unus pro omnibus præstitit, com-
parantem. Si materiale desideras? non nostra opera, sed satis-
factionem

factiōnem Christi tibi exhibet, legem perfectē implementis. Si formalē? imputationem mortis & obedientiæ Christi, per fidem applicatam. Si finalem deniq̄, queris, Deo debitum honorem, & hominum quietam invenis conscientiam. Docuit porro de tribus partibus pœnitentiæ, contritione, fide, & nova obedientia. Similiter de vocatione gentium: de Cœna Domini: de Baptismo: de Adiaphoris: de Antichristo, quem vivis depingit coloribus. Deniq̄, de extremo die & resurrectione mortuorum articulum eleganter explicavit. De his & similibus doctrina Christiana capitibus ubi & quando docuerit, partim ipsius peregrinationes, multa & varia, magna & periculosa; partim ipsius epistola, qua extant adhuc in Ecclesijs nostris, abunde demonstrant. Prima peregrinatione post conversionē Damasco egressus Arabiam peragravit, ex Arabia revertitur Damascum, ubi ob acrem Iudeorum confutationem insidiæ ei struuntur, ut nocte in sporta per murum demissus, vix tandem elabatur. Inde Hierosolymam progreditur post spacium triennij à primo egressu hoc itinere consummatum. Secunda peregrinatione, instituta anno conversionis suæ 4. Christi 37. & Tiberij 22. relictis Hierosolymis, ubi cum Petro conversatus erat quindecim dies, venit Casaream, inde Tarsum abit. Hinc se in regiones Syria & Cilicia confert, & Antiochiam venit, ubi tanto successu cum Barnaba integrum annum docuit, ut illic primum discipuli ejus Christiani appellati sint. Hoc iter biennio absolvitur circa annum mundi 4000. Tertia peregrinatione redit Antiochiam, illinc Seleuciam venit. Hinc navigat in Cyprum Insulam, & tandem in oppidum ejusdem Insula Paphum pervenit, ubi Sergius Paulus proconsul convertitur, & Elyma magus imprecatione Pauli excaecatur. Ex Papho navigat Pergam Pamphylia. Inde Antiochiam Pisidia progreditur. Hinc abit Iconium, inde fugit in Lycaoniam, & passim in alijs quamplurimis regionibus, provincijs & urbibus docet, & doctrinam miraculis confirmat, ita ut homines quoq̄, eum pro Mercurio colere incipiant. Tandem redit Hierosolymam anno celebrati concilij primi & gravissimi

visimi de libertate Christianorum, qui erat Pauli conuersi 17.
 Quarta peregrinatione ex Synodo Hierosolymitana dimittitur Antiochiam: Inde confirmaturus Ecclesias, transit per Syriam & Ciliciam, & peruenit Derben & Lystram, ubi inventum discipulum, matre Iudaum, patre gentilem Timotheum circumcidit, & secum comitem itineris abducit. Transeunt igitur una Phrygiam & Galatiam, & veniunt in Mysiam, unde deflectere in Bithyniam à Spiritu prohibentur. Veniunt igitur Troaden. Inde in Macedoniam se collaturus Paulus in Samo Thraciam venit & tandem Neapolim. Hinc Philippus abit, ubi propter eiectionem ex puella uaticata Spiritum Pythonem in carcerem conijcitur, & miraculosè vinculis liberatur. Inde per Amphipolim & Apolloniam transiens, venit Thessalonicam, inde Berrhocam, Berrhoea navigat Athenas, ubi occasione ab ara ignoti Dei sumta publicè concionatur & multos convertit. Inde digreditur Corinthum, ubi sesquiannum commoratus est. Postea navigat Ephesum, & inde proficiscitur Casaream, Casarea Hierosolymam. Quinta peregrinatione ex Hierosolymis descendit Antiochiam, peragrat Galatiam & Phrygiam, & redit Ephesum, ubi biennium permansit. Inde navigat in Macedoniam. Ex Macedonia in Græciam descendit, ubi trimestre commoratur, & deinde in Macedoniam reuertitur. Inde ad comites Troada progreditur, ubi Eutychum ex morte in vitam revocat. Inde proficiscitur Asson Phrygiae, & inde Mitylenen venit Lesbii Insulae oppidum. Et multas alias regiones, provincias, urbes peragrat, ut tandem Hierosolymam redeat, conversetur cum Apostolis, exponat successus sui ministerij inter gentes, & de alijs, quæ Act. 20. 21. 22. & 23. extant, cum illis conferat, anno conversionis suæ 22. Claudij 13. Christi vero 55. Sexta peregrinatione Hierosolymis à Iudeis accusatus, ab equitibus perducitur Casaream ad Felicem, ubi biennium in carcere tolerabili detinetur. Postea Paulus cum alijs quibusdam captivis traditur Iulio, centurioni cohortis Augustæ, devehendus Romam ad Casarem, ad quem provocaverat. In itinere difficilem naviga-

navigationem, faviſſimam tempeſtatem, & incediam experiuntur. Præter hæc & alia vita incommoda, fracta navi naufragium faciunt, ita ut cum periculo & discrimine vita, homines è navi in terram enatent, & Inſulam Meliten contingant. Tandem poſt varia pericula, qua terra marique ſuſtinuerunt, Romam veniunt anno 2. Neronis, converſi Pauli 25. Chriſti 58. Septima & ultima peregrinatione, inſtituta ſub finem anni 4. Neronis è carcere, in quo Romæ biennium fuit, liberatus, abſolutusq; à Nerone, ſpacio decennij in viſit Eccleſias Syriæ, Aſiæ, & Græciæ: Et inde reverſus in Italia, Gallia, Hiſpania, & alijs occidentis partibus magno cum fructu docet.

Nec tamen Apoſtolus præſens docuit: ſed abſens etiam per epistoſas plurimum profecit. Extant epistoſa Pauli ad Theſſalonicenſes, in doctrina religionis & fidei articulis ab ipſo informatos, Athenis anno Claudij 8, Chriſti 50, Pauli converſi 17 ſcripta. Extat ad Timotheum epistoſa, Laodicea in Phrygia, anno Claudij 10, Chriſti 52, Pauli converſi 10. data. Extant plures alia epistoſa, quarum alia ad Corinthios, qua prior eſt, Epheſi anno claudij 11. & 12, Chriſti 53, & 54, Pauli converſi 20 & 21, ſcripta reperitur: Alia eodem tempore & loco ad Titum: Alia ad Corinthios, qua poſterior, Philippiſ in Macedonia anno Claudij 13, Chriſti 55. Pauli converſi 22: Alia corinthi eodem tempore ad Romanos: Alia iſto biennio, quo Romæ in ſuo conductu manſit, ad Galatas: Alia ibidem ad Epheſios: Ad Philippenſes, ad Coloſſenſes, ad Philemonem alia: Alia ad Timotheum, qua poſterior eſt, ſcripta extat.

Sed non ſine cauſa moveatur hic queſtio, cujus auxilio fretus Divus Paulus, in quem finem & quomodo hæc omnia præſtiterit? Majora enim ſunt, quam ut ab homine præſtari: periculoſiora, quam ut fruſtra ſuſtineri: magis ardua, quam ut ſine ratione perfici potuerint. Agite conſideremus ergo præclara illa Spiritus S. dona, divinitus ei tributa, quibus ad muneriſ Apoſtolicæ functionem idoneus eſt repertus. Docuit undiq; locorum: ideoq; dono lingua-

linguarum praeclarus fuit. Habuit multarum rerum cognitionem: ideo à Deo scientia donatus. Edidit signa & prodigia, ideog, non infimus Apostolorum. A Deo ipso instructus per revelationes, ideog, reliquis excellentior. Prædixit futura, ideog, dono prophetie insignis. Non duxit uxorem: ideog, dono continentia & castitatis præditus fuit.

Agite consideremus & finem, in quem nec laboribus, nec molestijs, nec periculis pepercerit unquam: sed manibus, pedibusq, omnixè omnia fecerit, ut Ecclesiam Dei plantaret, erudiret, moneret, consolaretur. Hic non propria laudis fuit, nec turpis lucri: sed animi erga Ecclesiam verè paterni, ardentis & impensa dilectionis. Non n. (inquit) quero, qua vestra sunt, sed vos; vos quero ipsos, siquidem non debent filij parentib. thesauros colligere, sed filijs parentes. Ego verò libentissimè impendam, ut expenda pro animabus vestris: licet uberius vos diligens minus diliga. Et alibi: Fuimus placidi in medio vestri, perinde ac si nutrix foveat filios suos, sic affectu propensi in vos, animo cupiebamus impartire vobis non solum Evangelium Dei, verum etiam nostras ipsorum animas, propterea quod cari nobis facti estis.

Consideremus deniq, modum & rationem docendi? Huc accedite jam animis vestris fideles verbi divini ministri: huc erigite mentes vestras vigilantes Ecclesiarum Pastores: his his aures præbete attentas, quotquot docturi estis populum Dei. Paulus spiritualis noster parens non jejunus, horridus & obscurus fuit in scriptis suis: non tumidus & inflatus in concionib: sed diligens consuetudinis loquendi observator. In concionibus simplex & vulgaris: in epistolis satis planus & perspicuus: in compositione brevis, multa in unam periodum conjiciens membra, causas & effectus & circumstantias rei exprimentia. A figuris & schematib. Rhetoricis non abhorruit. Interrogationibus, translationibus, inversionibus, & similibus figuris frequenter usus est. In dispositione optimum ordinem & methodum observavit. In objurgatione & adhortatione sine prosopopieia acris & severus.



In consolationib. dulcis & suavis. Fundamenta doctrinae ex veteris testamenti scriptis jacere solitus est. Similitudinibus & collationibus exemplo Christi doctrinam perspicuam & claram reddidit. Historias rerum breviter perstringens, fructus uberius explicavit. Eadem scribere & repetere & inculcare Ecclesiis non erubuit. Proprio exemplo alijs cum in doctrina, tum in cohortatione ad virtutem praelucere laboravit. Quae adificaverunt Ecclesiam, summopere promovit: quae destruxerunt, cave pejus & angue vitavit.

Haec est doctrina auditores, quam tradidit Ecclesiae Paulus: hanc ab hereticorum erroribus & corruptelis acriter defendit. Saepè congressus est cum Iudeis, Iesum Nazarenum verum Messiam non cognoscentibus. Saepè cum pseudoapostolis & falsis fratribus, Ecclesias à Paulo constitutas perturbantibus. Saepè cum ipsis collegis & discipulis, à puritate doctrinae deficientibus. Quam graviter falsos doctores, perturbantes Galatiae Ecclesias pugnari, testatur Epistola ad Galatas. Quam vehementer sciolos, schismata in Ecclesia Corinthiaca excitantes, increparit, prior & posterior ostendit ad Corinthios epistola.

Hanc doctrinam miraculis quam plurimis confirmare: virtutibus quam pulcherrimis stabilire omni animi contentione laboravit. Elymam enim Magum veritati resistentem, imprecatione excacatum: Spiritum Pythonis è puella ejectum: Claudum ab utero matris sanatum: Patrem Publij, febris laborantem restitutum: Eutychem ex morte in vitam à Paulo revocatum, Lucas in Actis probat. Nec est obscurum, Deum singulares Ephepsi edidisse virtutes per manus Pauli, ita ut etiam super infirmos deferrentur à corpore ejus sudaria, & recederent ab eis morbi, & spiritus mali egrederentur.

Dè virtutibus, quibus ornatus fuit plurimis, tacendum potius, quam dicendum censeo: Siquidem tam varia ista fuerunt in Paulo & multa, ut brevibus recenseri non possint. Si enim dicendum mihi esset de fide & fidelitate in ministeria suis, quae in

28
eo summa fuit: Si de animi humilitate, quæ admodum excellens
si de timore Dei, qui ardentissimus: si de frugalitate & labore
manuum, qui indefessus: si de beneficentia & liberalitate in pau-
peres, quæ perfrequens & assidua: Si de alijs virtutibus quæ
innumera fuerunt in Paulo, dicendum mihi esset, dies me desi-
ceret.

Quare tandem ad finem, & vitæ exitum progredior, quem
Paulus sortitus est. Hic autem finis & exitus vitæ ejusmodi
fuit, cujusmodi omnium ferè Prophetarum, Apostolorum, & reli-
quorum doctorum, in Ecclesia Dei fidelium esse solet, præterior &
illustre testimonium de doctrina & animarum immortalitate.
Etenim anno 37. suæ conversionis, Christi v. 70. & 14. Neronis
Roma ab impurissimo illo & crudelissimo tyranno Nerone, ob fidei
& confessionis de suo erga Dominum nostrum Iesum Christum a-
more & fervore constantiam, capite mulctatus, & in via Ostiensi
sepultus est. Hæc est illa gratia, quam mundus refert pro me-
ritis, fidelibus verbis doctoribus: hoc præmium, quod persolvit pro
labore incomparabili.


Verum non moveat nos momentanea levitas afflictionum, nec
crudelissimorum hominum tyrannis nos abstrahat à fidei & con-
fessionis constantia: sed invitet potius ad militandum bonam
militiam, retinendam fidem & bonam conscientiam, cum æternæ
gloriæ pondus mirè & supra modum pariat. Quare consideremus
cum omnium Sanctorum, tum imprimis Apostoli, & spiritualis nos-
tri parentis historiam, cumq; ita nobis imitandum proponamus, ut
patrissimus & non degeneres ipsius filij existamus. Commonefa-
ciat nos de ingenti Dei beneficio in colligenda, propaganda, defen-
denda, & gubernanda Ecclesia. Sit exemplum nobis illustre in-
narrabilis Dei in homines peccatores misericordiæ, immensa beni-
gnitatis & sempiternæ clementiæ. Sit omnis illius actio in do-
ctrina, consolatione, exhortatione, in fidelitate muneris, humilitate,
beneficentia & liberalitate, in omnibus deniq; rebus, cum laude
& præclare gestis, nostra instructio.


Tibi quod superest, fili Dei, tibi cum Patre & Spiritu Sancto gratias agimus, quod ab exordio mundi praeclara & magnifica mundi lumina, patres vatesq; sanctissimos excitaveris, quibus tuum de redimendo homine consilium, ad posteros propagandum communicasti: quodq; cum in terris adhuc versaberis, elegeris tibi doctores, quos ad amplificandam de vita & salute nostra doctrinam in universum terrarum orbem emisisti. Teq; rogamus, ut adhuc, sedens ad dextram aeterni Patris, mittas Prophetas, Apostolos, pastores & doctores, qui spiritu veritatis adornati, & spiritualis nostri parentis Pauli Apostoli non degeneres filij facti, concione legis & Evangelij, ceterum Dei amore flagrantem, per viam veritatis ad caelos adducant, omniaq; dirigant ad nominis tui gloriam, utilitatem Ecclesiae, & suam ipsorum salutem.

D I X I





3/10

















the scale towards document

28
us fuit. Habuit multarum verum cognitionem:
a donatus. Edidit signa & prodigia, ideog, non
um. A Deo ipso instructus per revelationes,
cellentior. Prædixit futura, ideog, dono pro-
Non duxit uxorem: ideog, dono continentie &
fuit.

remus & finem, in quem nec laboribus, nec mole-
pepercerit unquam: sed manibus, pedibusq, ob-
t, ut Ecclesiam Dei plantaret, erudiret, moneret,
ic non propria laudis fuit, nec turpis lucri: sed
tam vere paterni, ardentis & impensa dilectio-
()quaro, quæ vestra sunt, sed vos; vos quaro ipsos,
ent filij parentib. thesauros colligere, sed filijs
verò libentissimè impendam, ut expenda pro-
licet uberius vos diligens minus diliga. Et
cidi in medio vestri, perinde ac si nutrix foveat
tu propensi in vos, animo cupiebamur impartire
vangelium Dei, verum etiam nostras ipsorum
quod cari nobis facti estis.

deniq, modum & rationem docendi? Huc
mis vestris fideles verbi divini ministri: huc
estras vigilantes Ecclesiarum Pastores: his his
tentas, quotquot docturi estis populum Dei,
noster parens non jejunos, horridus & obscurus
is: non tumidus & inflatus in concionib: sed
linis loquendi observator. In concionibus simplex
iffolis satis planus & perspicuus: In compositione
nam periodum conijciens membra, causas &
stantias rei exprimentia. A figuris & sche-
non abhorruit. Interrogationibus, translatio-
us, & similibus figuris frequenter usus est. In
um ordinem & methodum observavit. In
dhortatione sine prosopopieia acris & severus.

C

18